



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 36. De quantitate & corporum penetratione, ad tex. com. 90.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

te rima non remanet; cum tamen alium non habeat exitum? Immo & luminis motus externa vi impeditur, aut cōcitatior fieret; quemadmodum aliorum omnium corporū motus: at eodem semper modo spargitur lumen, siue vigeant venti, siue tranquillus & pacatus sit aër. Et hic quidem à ventis mouetur, & aliò transfertur; lumen autem non item. Denique si corpus esset lumen, continuata & perenni illius diffusione absumeretur sanè quoduis lucidum corpus: at nihilo minus euadit.

Lumen non esse ignem.

Et hæc quidem vniuersè Peripatetici aduersus hæc omnes opiniones disputant. Speciatim autem lumen ignem non esse ostendemus. Tum quia non solus ignis, sed sol & alia corpora lucent & illuminant. Tum quia in aqua item & glacie est lumen; ignis esse non potest. Tum quia si ignis esset, propter naturam & per vim deorsum moueretur. Ad eundem quia lucent capita quorundam piscium, & lapides nonnulli, & concussione lapidum educitur lumen: nec tamen in his ignem esse credendum est.

Non est frigidum, nisi corpus calidum.

Neque esse defluuium corpusculorum à corpore lucido. Quoniam illuminando consumeretur, restauracioneque indigeret: neque in cœlestibus corporibus hæc vlllo modo fieri possunt: atque vt habet Philoponus, stultum est vllum in illis defluuium cogitare.

Lumen est pars substantiæ in se ipsa.

Quid igitur erit lumen? Nullo sanè modo corpus, sed aut ignis, aut solis, alteriusque lucidi corporis præsentia in perspicuo. Quam definitionem non formaliter, sed casualiter intelligas. Lumen namque non est formaliter præsentia: quia hæc formaliter, inquit Themistius, est relatio rei præsentis ad id, cui est præsens: sed est qualitas, quæ in perspicuo producitur à præsentem corpore lucido. Nam statim atque lucidum corpus fuerit præsens perspicuo, in eo lumen consequitur. Et idè quia nil aliud requiritur, nec alia opus est mutatione, verè corporis eiusmodi præsentia in perspicuo esse dicitur. Altero modo intelligi potest non præsentia loci & situs corporum lucidi & perspicui; sed formæ luminis, quæ apta est perficere perspicuum: Quo modo hæc definitio eadem penè fuerit eum superiori. Quippe idem videtur esse affirmare lumen esse actum & formam perspicui; & dicere esse perfectionem perspicui præsentem. Prior interpretatio videtur fuisse Philoponi, posterior Simplicij, vtraque Themistij, cum præsentiam talem dici scripsit, quali aut agens dicitur esse præsens patienti, quod ab eo quidpiam accipit; aut perfectio & ornatus adesse illi rei, cui perfectionem & ornatum adfert. Sanè vtramque Philoponus non obscure significauit. Priorem, cum dixit præsentiam corporis lucidi in perspicuo. Corpus enim lucidum dixit, à quo aliquid in perspicuum detrahetur. Posteriorem autem, cum statim subiunget, lumen præsentiam esse illius habitus, qui priuationem à perspicuo pellit.

Digestio xxxvi. De quantitate, & corporum penetratione.

Quoniam lumen non esse corpus, neque defluxum corporis, Philosophus hoc argu-

mento probauit; quoniam plura corpora simul esse non possunt; huius ratio quaerenda est.

Accidentia omnia nihil aliud sunt, quam entis entia, velut modi afficientes substantiam, quæ primum & perse est ens. Quantitas extensio est ratioque partium extra partes, quas substantia quoque tribuit: indeque & diuisionis ratio, & mensura, & esse æquale aut inæquale, finitum vel infinitum, occupare locum, & si quæ sunt alia his similia, tamquã proprietates quantitatis existunt. At Stoici quantitatem videntes ratione materia inesse substantiæ corporeæ, eam existimauerunt esse ipsammet materiam. Et post eos alij substantiam & qualitates omnes propriam voluerunt extensionem habere, quæ tamen ab illis nequaquam re distinguitur. Sed si materia potestatem significat ad actum; & substantia id, quod est per se, quantitas verò partes & extensionem; alia profectò materiæ seu substantiæ, alia quantitatis ratio est. Nam & ad diuersas spectant categorias, & diuersum entis genus significant; quemadmodum aduersus Melissam & eos, qui infinitum asserbant velut substantiam, in primo & tertio Phys. argumentatus est Philosophus. Immo in septimo libro Metaph. tex. 8. materiam probans esse substantiam, quantitatem dixit substantiam non esse, sed materiam, cui ea inest: quoniam si quantitas & qualitates omnes separantur, sola superest materia. Certè dum ens rei dicitur esse illud, quod est aptum existere; certius adferri argumentum non potest realis entium distinctionis, quam quòd ea vel seorsim existant separata, vel sint apta propriis singula existentis existere. Quòd si nature viribus nequeat quantitas à materiæ gremio diuelli ac sine materia coherere: id tamen omnino fieri posse ex admirabili Eucharistiæ sacramento cognoscitur; in quo quantitatem à materia separatam existere certissima fide credimus. Ita necessariò concluditur, eam esse rem quampiã à materia seu substantia diuersam.

Quantitas à substantia diuisionis. Gullielmus Ocham prima parte log. cap. 44. & tract. de sacr. 9. 3. & quodlibet 4. 9. 8. & 9.

Sed natura lumine ita libet philosophari. In corpore quidem naturali multa cernuntur, materia, substantiæ forma, qualitates, & accidentia plura: vnica tamen est extensio, quæ hæc omnia extenduntur; materia per se secundo modo; quoniam propria illius affectio est; reliqua ex accidente, quia dum extense materiæ adueniunt, non sibi propria, sed alterius extensione extenduntur. Quam ob causam sæpe apud Aristotelem legimus, qualitates & alia omnia ex accidenti quanta & partibilia esse, propter subiectum, in quo sunt. Quòd si plures essent in corpore extensiones, propriamque haberent singulæ qualitates & formæ rationem partium; esset in quolibet corpore plurimarum quantitatum mutua penetratio: Quam non solum ab antiquis omnibus maximum & euidensissimum absurdum indicatam fuisse confirmant Simplicius atque Themistius in tex. 8. libri 4. Phys. eoque argumento, vt est in tex. 53. & 55. vacuum illi asserbant, & Aristoteles locum demonstrauit in textu 8. & 37. triplicem dimensionem non esse: neque in textu 27. posse idem esse in se ipso ex accidenti: & in textu 76. vacuum confutauit tamquam spatium trifariam dimensionum omni carentem corpore: ac demum in 1. li. de an. t. 72. neque animam, neque in tex. 69. lumen esse corpus vllum licet tenuissimum; quia sequeretur plurimum

Decor. penetratio.



corporum penetratio. Verum etiam manifesta ratio demonstrat. Neque enim ratione substantiae, neque ratione qualitatum vllarum, ea iudicatur fieri non posse: immo prorsus est necessaria: dum & substantiae forma totam pervadit materiam, & plurimae qualitates simul in eodem subiecto sunt. Sed ratione duntaxat quantitatis: quia cum in extensione partium extra partes vim suam ostendat, plures extensionis partes, quarum vna sit extra aliam omnino simul ita esse non possunt, ut vbi est vna sit item alia, seu vna sit intra aliam. Propterea si vnum corpus accedit, aut alterum illi cedat locum, necesse est, aut confringatur, vel saltem hebetentur ac retundantur.

Duplex in quantitate ratio partium.

At hoc nequaquam ita debet intelligi, ut divinae potestati, litteris sacris, fideique nostrae de cretis quidquam detrahatur. Etenim duplex in quantitate ratio partium consideratur. Vna, quae ipsa est in se extensa & vnam partem habet extra aliam. Altera per ordinem ad aliud corpus, cui coextenditur & commensuratur; seu ad locum, quem replet, aliud inde corpus expellendo. Sed prior duntaxat est illi essentialis, altera velut proprietatis: neutra naturae viribus tolli potest; quod ea nec rerum naturas mutare queat, nec proprietates, quae illas naturaliter & necessario comitantur, prohibere. At divina virtus, quae proprietatem quamlibet & actum secundum potest ab essentiali & actu primo removere, posteriorem facile separat a priori; aut corporibus pluribus in eodem loco positus; aut vno corpore extenso impartibiliter alteri adiungendo. Ita nimirum Christi corpus virginali claustro minimè violato exiit ex utero; clausuloque sepulchro prodit; & fores clausas atque ad eos celos ipsos penetravit: ac demum impartibiliter sub panis & vini speciebus in sacramento continetur.

Dum igitur plura quanta simul sunt in natura, materia scilicet, substantiae forma, & qualitates plurimae; vnicam in omnibus cogimur quantitatem & rationem partium agnoscere, quae haec omnia quanta sunt & extensa. Et ut ea distinguitur à forma & qualitatibus, quae dicuntur ex accidenti extensa; ita distingui debet à materia; tamen si maiorem cum hac affinitatem habeat, eamque per se extensam faciat. Idcirco si quantitas remoueatur; materia, forma, & qualitates omnes impartibiles erunt: materia quidem & forma omnino; qualitates autem, quae propriam habent graduum latitudinem, si non extensione, certè in extensione diuidi poterunt. Corporea tamen substantia adhuc ab incorporea distinguetur; quod illa, etsi actu non extendatur, apta tamen erit accedente quantitate extendi molemque efficere: huic verò extensio omnis repugnat; & quamuis addatur quantitas, nihilò magis fiet partibilis.

TEXTVS.

Δουκι δὲ τὸ φῶς ἡνελίον εἶναι τὸ σκότεινός δὲ ὁ σκότος, ἔστιν ἡ τοιαύτη ἕξις ἐν διαφανεί, ἢ ἐν ἄλλοι, ἐπὶ ἧ τὸ τοῦ παρῶντος τὸ φῶς ἐστὶ.

Videtur autem lumen contrarium esse tenebris: sunt tamen autem tenebrae privatio huiusmodi habitus à perspicuo. Quare palam est huius praesentiam lumen esse.

COMMENTARIVS XCI.

Quod lumen dixerat non esse corpus, sed corporis praesentiam in perspicuo; hoc rursum confirmat argumento sumpto contrario. Etenim si lumen videtur esse tenebris contrarium; non verè & propria contrarietate, sed oppositione illa, quae

inter habitum est & privationem. Si quidem lumen est veluti habitus; nec aliud quidquam significat tenebrae, quam privationem huiusque habitus absentiam à perspicuo, quod aptum erat illuminari. Non enim tenebrosus sit aer, quod aliquid illi accedat, sed magis quod recedat aliquid, huiusque absens id, quod fuerat praesens. Si igitur tenebrae nil significant aliud, quam luminis corporis lucidi absentiam à perspicuo, nec aliud erit lumen, quam habitus praesentis in perspicuo ex lucidi corporis praesentia.

Quae argumentatio est item definitionis antea propositae explicatio. Declarat enim quomodo lumen definitum fuerit esse lucidi corporis praesentiam in perspicuo. Nimirum non praesentia formaliter, sed aliquid ex praesente corpore lucido derivatum ad perspicuum. Propterea enim lumen addit veluti habitum in perspicuo, & tenebras privationem illius. Verùm dum tenebras dicit privationem huius habitus à perspicuo, illiusque praesentiam lumen, praesentiam in superiori definitione nominatam videtur habitum praesentem interpretari, perfectionemque à lucido corpore productam. Quare ex duplici illius definitionis interpretatione in superiori commentario proposita maxime videbitur posterior probanda, quae propria Simplicij fuit.

Porro est quis tenebras pertinaciter contendat privationem non esse, sed rem quampiam luminis verè contrariam: non tamen, inquit Philoponus, propterea obtinebit lumen esse corpus. Immo nec omnino erit substantia. Nam in substantia contrarietas non est, sed in qualitate. Si igitur lumen & tenebrae verè contrariae sunt, qualitates fuerint, non substantiae. Quod si substantia non sit, corpus non erit: nisi fortasse corpus velis de quantitatis genere, hoc est trisarium dimensionum quidpiam. At praeter quam quod ne in

quantitate quidem contrarietas inest; neque vim agendi habet quantitas, quemadmodum habet lumen: perinde fieret corporum penetratio, dum in perspicuo suscipitur, ac si esset corpus de genere substantiae. Non enim respicit natura penetrationem substantiarum, ut in materia & forma perspicuum est; sed quantitatum & dimensionum. Deinde certam haberet magnitudinem aliquam, duorum aut trium cubitorum, aut aliam quantum: quare non in omni corpore suscipi posset, sed in eo solo, quod similem quantitatem haberet. Quod si neque substantia sit, neque quantitas; sola superest qualitas: si quidem reliqua entium genera nullam rem absolutam significant, quae per se considerari possit tanquam habitus & perfectio perspicui. Sed siue tenebrae privatio sit, siue

si ueres quæpiam alia, perinde ostenditur, lumen nil aliud esse, quàm qualitatem. Quoniam & vim habet agendi sibi propriam, & est obiectum per se solo aspectu sensibile, ac demum intenditur & remittitur: quod exceptis elementorum formis, quæ in missione refrangi debuerunt, nulli omnino substantiæ neque quantitati conuenit; sed qualitatibus proprium est.

TEXTVS.

Καὶ ἐν ὁμοίᾳ Ἐμπεδοκλῆος, οὐδ' εἴ πε ἄλλος οὕτως εἰ-
ρακεν, ὅς φερεῖται τῷ φασί, ἢ γρηγοροῦν πρὸς μεταβῆ τῆς
γῆς ἢ τῷ πηλίχροντος, ἢ μὴ δὲ λαμβάνοντος. Ἰσο γὰρ εἶναι ἢ
παρὰ τῷ ἐν τῷ κέντρῳ ἀλλοθῆναι, ἢ παρὰ τὴ φανέρωσιν ἐν
μικρῷ μὲν ὅ διασημασι λαβῶσαι, ἢ παρὰ τὴ ἀνατολῆς δὲ πρὸ δυ-
μῶς, τὸ λαμβάνειν μὲν γὰρ τὸ αἴμα.

Et non recte Empedocles, neque si quis alius sic dixit, quod feratur lumen & producatur inter terram & continens, nos autem lateat. Hoc enim est & præter eam, quæ in ratione veritatem, & præter ea, quæ apparent. In paruo cuiuspiam latere fortasse: ab oriente autem in occidente latere, magna valde petiit.

COMMENTARIVS XCII.

Postquam quidam sit lumen ostendit; eamque opinionem confutauit, quæ Platonis fuisse creditur, lumen esse corpus aut defluuium corporis: alteram quoque reprehendit, quæ fuit Empedoclis. Is enim aut si quis alius sic dixit (nam in Timæo Plato visus est lumen dicere per effluxionem ad nos venire) lumen affirmavit à cælo ad terram & ærem illi circumiectum paulatim moueri, perque omnia hæc corpora, quæ sunt inter terram & cæelum continens, moueri & extendi cum tempore; prius in vna parte, quæ illuminantico corpori propinquior fuerit; deinde in alia magis remota. Eam tamen esse motus celeritatem, vt à nobis minimè obseruetur, neque percipiatur.

Hæc opinio hoc præsertim loco reprehenditur; quoniam ex eodem illo principio deriuata est; quod & ipsa lumen crederet esse corpus, & idèd moueri de loco ad locum; idque paulatim & cum tempore, quemadmodum mouentur corpora. Principium & fundamentum huius opinionis prætermittens Philosophus tamquam superiore argumentatione iam destructum; id aggreditur, quod ex eo deducebatur. Et tacite quidem hoc obicit: si lumen cum tempore moueretur, id à nobis procul dubio cognosceretur; quemadmodum reliqua corpora, quæ mouentur, moueri omnia cum tempore animaduertimus. Atqui nullum in eo cognoscimus motum, sed momentaneam mutationem: neque esse motum de loco ad locum, sed subitam potius alterationem iudicamus.

Quoniam verò Empedocles hoc argumentum viderat, diluereque conatus fuerat; lumen inquiens moueri cum tempore, sed tempus à nobis propter motus velocitatem non percipi: hoc ipsum, quod diluendo responderat, aperta oratione confutat. Nam hoc & rationi aduersatur, & sensui. Sensui quidem, quia subito cernimus totum illuminari: rationi autem; quoniam etsi fortasse in partu aliquo spatio (adde etiam minuti alicuius corporis) motus quispiam minimè sensibilis fieri pos-

set: in tanta tamen vastitate, tum corporis moti, tum distantia, quanta est ab ortu ad occasum & à cælo ad terram, fieri nulla ratio permittit: immò nullo modo fieri posse suadet: præsertim cum lumen ipsum tam vastum esset & immensum corpus. Quare si vt hoc credamus nobisque persuadearius ita esse postulet Empedocles; magna prorsus petitio est, magnum postulatum. Etenim absque demonstratione peteret, vt ratione sensuque repugnantibus quidpiam illi concederemus.

Potest & alia esse horum verborum expositio. Hoc, quod Empedocles asserit, aduersatur ei, quæ in ratione est, veritati. Quia dum lumen air loco moueri & cum tempore, aduersatur illi veritati, quæ necessaria ratione demonstrata fuit, lumen non esse corpus. Moueri enim eo modo non potest, nisi sit corpus. Pugnat etiam cum iis, quæ videntur: quia totum sublunare perspicuum subito illuminari conspiciamus.

Lumen non esse corpus.

Ceterum vniuersa hac Empedoclis confutatione rursum confirmauit Philosophus id, quod antea demonstrauerat, lumen non esse corpus. Si enim esset corpus, moueri ipsum oporteret, vt à cælestibus ad inferiora descenderet perque totam hanc perspicui latitudinem extendere: & quidem cum tempore, cum omnis motus egeat tempore. At nullum in illuminatione tempus est; sed omnia hæc corpora & eorum partes singule, tum propinquæ, tum remotæ, simul illuminantur: non igitur illuminando mouetur, neque omnino est corpus.

Digressio xxxvii. De naturæ luminis.

Lumen non esse corpus, demonstratum est. Quid igitur fuerit: Nimirum aut emphasis tantum & apparetia coloris; aut forma quæpiam à lucido corpore in perspicuum deriuata. Sanè non defuerunt qui nil aliud, quàm colorati solis præsentiam, esse dicerent; solemque illuminare, non esse affirmarēt eum quidquam extra se producere; sed aspectui nostro præstantissimum illius colorem representari. Quorum hominum opinio tum solem & cælestia corpora colorata esse accipit, tum sensui aduersatur. Agit enim solis lux in aspectum nostrum, nimumque lædit: nimirum forma quæpiam in medio producta. Corpora etiam perspicua sunt item conspiciua; vt aqua, cristallus, vitrum; quæ cum omni colore careant, reliquum est, per lumen sibi communicatum videri. Idèd lumen vt colorem esse perspicui affirmavit Philosophus. Denique cum lumen in aère nostrisque corporibus gignat calorem; necesse est ibi adsit, vbi operatur, spargaturque per aërem & ad nostra quoque perueniat corpora. Nihil enim agit vbi non est, neque actio sine agentis patientisque contactu constat. Aristoteles verò tum in superioribus lumen definiuit actum esse perspicui & velut habitum illi præsentem tenebrasque pellentem, atque id, quod erat potestate, facientem actu. Et deinceps in tex. 74. propterea grauitè reprehendit Democritum, intercedente vacuo asserentem fieri visionem posse: Quoniam patièdo videmus: patièdo inquam non à colore, sed à lumine, quod per medium ad oculos vsque nostros deducitur. Quod si in tex. 69. lumen esse præsentiam dixit, in Commentario ad eum locum hæc verba interpretati sumus: eodemque intellectu loquuti sunt interdum Alexander.

Lumen quid.